Serobissevii Jacobi: Piis Manibus
magni Joannis de Zamoscio.

PIIS MANIBVS MAGNI IOANNIS DE ZAMOSCIO, SVPREMI REGNI POLONIÆ CANCELLARII, ET EXERCITVVM DVCIS GENERALIS:

MVSA, MILESQVE, MNHMEION.

IACOBVS SCROBISSEVIVS F.

CRACOVIÆ,
Apud Viduam Iacobi Siebeneycher,
Anno Domini M D CV.

Admodū Rndo D. Ioanni Foxio I. V. Doctori
Canonico Cracovien. Dño et patrono suo dd.

AD MAGNANIMVM ET ILLVSTREM VIRVM NICOLAVM ZEBRZIDOVIVM, Palatinum & Generalem Cracouiensem.

DVM funus Heroi apparas ZAMOSCIO,
Illustris Heros, ac supremum mortuo
Honorem amico reddis, omni agens ope,
Amor quod ardens suasit, almaque pietas.
Hic interim mœrens, dolensque, maximi
Fatum viri defleui & ego. viri illius
Semper domare qui potuit hostes feros,
Suadaque delenire dura pectora,
Bonum tuendo publicum medullitus.
Doloris argumenta luci credere
Persuasit insuper mihi meus dolor.
Alia patrono iusta dare quinam potis?
At vero virtutumque, mentisque, intimo
Herois huius æmulo tibi, dico hæc.
Exile quantum maximæ ingenium rei
Decerpsit, vt tantum reponat gratiæ,
Sublimè splendens nominis tui decor.
Faue camœnis, MAGNANIME Vir, tristibus.
Patriæ Deus te seruet, & bona faustitas.

I. S.

PIIS MANIBVS MAGNI IOANNIS DE ZAMOSCIO.

Ille, qui sæuos domitabat hostes,
Aurea mulcens patriam quiete,
Ductor heu magnus cecidit, iacetque,
Marmore clausus.
Ecquis, humanā memorando sortem,
Audiet ciuis gemitu represso?
Concidit murus patriæ, bonorum
Aura ZAMOSCVS.
Tu prior testare tuum dolorem
Palladis cœtus, lacrymæ per ora
Diffluant, luctum resones relicti
Turturis instar.
Lumen extinguens fera mors sororum,
Artium lucem rapis immerentum,
Vnicum tollis decus, & patronum
Ingeniorum.
Orba quonam confugiam camæna?
Vnde deserta auxilium requiram?
O meum sydus, columen, decusque,
MAGNE ZAMOSCI.

Integra à te delicias petebam,
Læſa te viuente animum fouebam;
O meum ſydus, columen, decuſque,
MAGNE ZAMOSCI.
Tu dabas puros nemorum receſſus,
Phocidis pandens latices ſerenos;
O meum ſydus, columen, decuſque,
MAGNE ZAMOSCI.
Dona tu larga mihi conferebas
Dextera, tardam ſtimulans iuuentam;
O meum ſydus, columen, decuſque,
MAGNE ZAMOSCI.
Ergo ſic nobis helicen trionis,
Et Napæarum iubar, & canoræ
Theſpiæ lumen nitidum, abſtuliſti,
Mors truculenta?
Plange, nec ceſſans gemina dolorem
Muſa, vocales lacrymoſa chordas
Tange, de multis referaſque pauca
Facta Patroni.
Arduæ virtutis iter puellus
Fortiter prendens, ſuperis nec imis
Hæſit, incedens mediocritatis
Tramite tutus.

 Non

Non voluptates animum iuuentæ,
Illices nec blandiciæ, nec iræ,
De statu mouêre graduque, pulchri
Pectus honesti.
Vidit hic ipsam teneris sub annis
(Quod datum paucis) faciem decori;
Vidit, ac eius nimium potenti ex-
arsit amore.
Orta doctrinæ simul hinc cupido,
Insitam quæ vim studio fideli
Promouet, paruum quod erat sub ortu,
Pandit & auget.
Indolis celsæ documenta, magni &
Ingenj quamuis dederat domi iam,
Impotens sufferre tamen quietem
Igneus ardor:
Sede dimouit iuuenem paterna,
Impulit terrasque Latini adire,
Artium cultu celebremque IVLI
Cæsaris vrbem.
Fulgidum cursu veluti perenni
Nititur cælum, stationis expers:
Sic loco nescit generosa eodem
Stare viri mens.
Diligens

Diligens quiſnam ſtudium referret?
Inque doctores pietate plenum
Pectus? aut conſtantem animum ſub ipſo
Flore iuuentæ?
Nox adhuc æthram tenebris tegebat,
Hunc vigil doctrinæ amor excitabat.
Quam grauis iactura foret fugacis
Nouerat horæ.
Aut manu doctas igitur fouebat
Paginas, doctis operam aut fidelem
Dans, opes veras animo parabat,
Ocia pellens.
Gentis hic noſtræ decus in remotas
Intulit gentes, PATAVI gubernans
Strenuè doctus iuuenis ſuperbas
PALLADIS arces.
Martis hoc regnum vocitabat olim
Audiens Galluſque, Italuſque, bella
Incolas tantum meditarierque
Credidit orbis.
Aſt eum ſenſum repulit ZAMOSCVS,
Eſſe pugnaces docuit POLONOS,
At nec inuitos dare nomen almæ
Sæpe Mineruæ.

Altior

Alti or primo quoties decore
Phœbus apparet nitidis Eois,
Flammeam lucem simul occidentis
Spargit in oras.
Dum procul surgit patria ZAMOSCVS,
Fama confestim populos replebat,
Nuncians, clarum generi POLONO
Lumen oriri.
Fama non fallax. redijt. paternosque
Attigit tractus, radios retexit
Ingenj vis illa, scientiæque, &
Inclyta virtus.
Non potest flammæ excita lux latere,
Nec facem ardentem modius recondit:
Nemo repressit rutilantem in alto
Lampada cælo.
Consilj tempus venit. effluebat,
Dulcis, ac prudens nimis ore sermo:
Pectus at si res animumque magnum,
Magna vocabat.
Siue grata pace, seu cruenti
Martis in castris, animosus, idem
Cautus, incertumque animosior, vel
Cautior esset.
Phœbus

Phœbus ô tantum mihi ſi dediſſet
Gratiæ, plectro canerem ſonanti,
Mira, quæ firmabit edax vetuſtas,
Facta ZAMOSCI.
Dicerem pugnas, memorabileſque
In ſinum illatos patriæ triumphos,
Sæpè ſeruatam exitio, ſagaci
Conſilio rem.
Iam fugam MOSCHI canerem, minaſque
In precem verſas: iam animum decoris
AVSTRIAE ſuetum imperitare, Marte
Hoc duce verſum.
Nec ſilerem TARTARICAS phalanges,
Glorioſè inter CYCORAE fluenta
Territas, veniſſe breui ſub arcti
Fœdera pacti.
Non MICHAELIS domitum furorem
Præterirem, non CAROLI tremorem:
Aureos mores, animum, genuſque,
Ducerem in aſtra.
Ferre ſed vires onus hoc recuſant,
Languet imbellis lyra, nec colorem
Viuidum promptum reparare, abacto
Sole Camœnæ.

Flos

Flos velut latè iaciens odorem,
Deijcit cæſus caput, occidiſti
Magne vir, lumen patriæ, occidiſti,
IANE ZAMOSCI.
Tota PARNASSI domus, in ſilenti
Eiulat luco, rapuit ZAMOSCVM,
Rebus humanis periniqua ſors, ah
Dura camœnæ.
Fata quin æthram tetigiſſe tanti
Cernimus ciuis, lacrymas profudit,
Nec modum ponens, madet irremiſſo
Imbre etiam nunc.
Vidimus mœſti nimium, retortis
Iſtulam flauum violenter vndis,
Ceu ſubiratum, in nihilum redactum
Iſſe labores.
Influit campis agitatus humor,
Fertiles frugum rapiens ariſtas,
Nec ſuo aſſurgens, rutilat, cadenſque,
Lumine Titan.
Condit & Lunam ſimul atra nubes,
Plena res mutare locum pericli,
Plura vix vllo cecidêre ſeclo,
Fulmina cælo.

Hinc PALES mœrens ſata dereliquit,
Segnis in curſum ſonipes reſurgit.
Graminis pingues male carpit ipſe
Laniger herbas.
At chori Phœbus pater atque princeps,
Mœſtior ponit citharam: ſorores
Voce lugubri vocat ad ſepulchrum
Dulcis alumni.
Maximi proles Iouis, ô nouene
Cœtus, ô Nymphæ nemorum, fluenta
Quæque tranſitis: noua nunc dolorem
Cauſſa miniſtrat.
Sueta linquatis loca, ad eiulatum
Ite nunc, fidæ comites laborum:
Diffluant per colla comæ, lacertos
Dextera pulſet.
More nec verbum ſolito remittat
Vltimum, at totos gemitus refundat,
In cauis antris habitans, & altis
Montibus Echo.
Audiat veſtrum fera mors dolorem,
Audiat pontus, rutilans & æther,
Quicquid ac vaſto gremio vniuerſus
Continet orbis.

Occidit

Occidit ſydus nitidiſsimum, vis
Ingenj ſplendens, & apex bonorum,
Theſpiæ vindex celebris, ZAMOSCVS.
O dolor, ô mors.
Cuius, illuſtres peperit triumphos,
Nobilis virtus, ſuperare vitam
Neſtoris dignus Pylii, occidit nunc:
O dolor, ô mors.
Hunc nec accreſcens ſoboles videbit,
Nec tori conſors, nec amicus: oſſa
Contegit tellus, melior recepta
Sede poli pars.
Occidit cultor pietatis almæ,
Principi, charæ patriæ, Deoq́ue,
Reddidit quicquid potuit, paratus
Fundere vitam.
Semper huic certamen erat pudoris
Cum modeſto, non tenuem premebat;
Strenuo, virtutis iter capeſſens,
Par, & amicus.
Dexteram qui ſupplicibus benignam,
Ac opem promptam miſeris ferebat,
Alleuans preſſos animo, occidit nunc:
O dolor, ô mors.

Ille, quem vester teneris ab annis,
Splendidè eduxit chorus, & decorum
Fronde præcinxit caput, occidit nunc:
O dolor, ô mors.
Orsa si vincire modis libebat,
Liberæ aut vocis reserare dona,
Semper hinc vestrum referebat altum
Nomen honorem.
Occidit, qui templa serena vobis
Condidit, CYRRHAM referentia, vnde
Docta dimanant monumenta, partes
Orbis in omnes.
Ore qui vos ac animo ferebat,
Casibus vestris doluitque semper,
Sedulo quærens & amica vobis
Ocia, raptus.
Lumen extinctum gelidi trionis.
Cessit è vita pater orphanorum.
Clara Parnassi cecidit corona.
O dolor, ô mors.
Ergo festinate meæ sorores,
Spargere Herois tumulum, nouenis
Floribus, cuius micat inter omnes
Gloria Lechos.

Hoc

Hoc pias ſaltem cumuletis aras
Munere, hoc manes, animamq́ue magnam
Nunc honoretis, manibus feratis
Lilia plenis.
Sacra iam laurus folio tenaci
Pullulet, belloque, togaque, magnum
Hic virum poſtum, referat futuræ
Poſteritati.
Torquibus nexis iacite ac amellum,
Tollat ingenteſq́ue comas, notetq́ue
Strenuum de Lechiadum, quieſſe hic,
Sanguine Achillem.
Iam fores caſtas hyacintus ornet,
Et rubens narciſſus odore pleno,
Compleat limen tumuli, locumq́ue,
Signet alumni.
Nec grauet paruus labor, inferatis
Candidam promptè violam, & rubentem.
Hic thymi blandè redolentis adſit,
Gratus api flos.
Lenius victrix hedera ad ſepulchrum
Serpat, in partes folium decorum
Semper effundens, viridante adornet
Stipite tumbam.

Ferte

Ferte Pæſtanas ſimul & roſas, quæ
Promicent ſplendore: patens roſetum
Ad caput ſurgat ducis, & patroni,
Flore perenni.
Temporis natæ properantis Horæ,
Vnde fulgentes reparent coronas,
Non honos grati, patriæ parenti,
Deſit odoris.
Nulla iam vero mora ſit, ſorores;
Ocius celſum tumulum petatis:
Nec ſatis vidiſſe, iuuat morari, ac
Fundere fletus.
Annuas, quin vos etiam, querelas,
Solis exortu renouate, triſte
Vox ſonet carmen, referatque mœſto
Lechia plectro.
Texit hîc IANVM tumulus ZAMOSCVM,
Paruus, ingentem. ô patriæ leuamen,
Et chori noſtri decus, ô perenne, hos
Accipe planctus.
Germen antiquum generis Poloni,
Nobile, illuſtre, ô ſocij ZAMOSCI,
Acris, infractæ, celebris, decoræ
Militiai.

Nunc

Nunc iubar pictum galeæ comanti
Demere eſt tempus, litui dolorem
Inſonent, rauco referantque mæſtos
Murmure queſtus.
Flectite huc cuncti lacrymas: amica
Signa, dites exuuiæ, fatiſcant:
Enſis inuictus iaceat, nec arcus
Hæreat armo.
Fortis ille, acerque, ferox duelli,
Prælijque interritus en ZAMOSCVS,
Quem vices nullæ domuere, lethi
Concidit ictu.
Vindice excelſo patriæ CAMILLO
Non minor, SCAVROS, animæque magnæ
Prodigum PAVLVM, FABIOS adæquans,
FABRICIOSQVE.
Africæ haud cedit domitori vtrique,
Nec DIONAEO, licet inter altos
Pænitet, multis ducibus Pelaſgis
Anteferendus.
HERCVLE haud ipſo minor, hunc labores
Euehant quamuis, celebrent camœnæ,
Omnis ac tellus ſuperata, cœli
Culmine ponat.

Ducitur

Ducitur laudi Libycis arenis,
Strenua ANTHEVM posuiſſe dextra,
Atque CENTAVROS acie, biformes
Perdomuiſſe.
Dicitur, viciſſe ferumq́ue CACVM,
(Hinc diem feſtum celebrant minores)
Et CLEONAEVM patriæ imminentem,
Straſſe leonem.
Sic relegatas adijſſe gentes
Vltimis terris, pepuliſſe monſtra hinc,
Fertur, ac nullam temeraſſe peſtem,
Fortia membra.
Quis labor, quæ cura, tuum ZAMOSCVM
Fregit, ô miles, domuitue ? quæ vis ?
Caſus aut quiſnam violauit, inter
Martia tela ?
Pro ſacris nullum timuit periclum.
Dulce duxit pro patria perire.
Nullus ex eius ſpolium recepit,
Laudibus hoſtis.
Hoc duce, ô quam ſæpe tibi cateruæ
Hoſtium ceſſere? alacer fugabas
Millia ô miles, trepidationis
Cladis & expers.
Siue

Siue in aprico ſteterant Phalanges,
Aſtus hoſtiliſue dolos parabat:
Menibus ſeu deijciendus eſſet,
Hoſtis ab altis;
Victor hoc ductore comes redibas,
Nulla vis, caſuſque malus nocebat,
Sic tibi pulchram, patriæque laudem,
Conciliaſti.
Mars fremens ferrum quoties vocabat,
Caſsicum cornu ſonuit: paciſci
Si datum, clemens animus, piuſque,
Arma tenebat.
Hoc Ducis Regnique decus putabat,
Arma nunc intenſa tenere, pacis
Nunc bonum fidis agitare verbis,
Conſilioque.
Martio hinc ludo redeunte, ſemper
Diximus gratanter io triumphe:
Soſpitatorique Deo, dabamus
Thura benigno.
Laudis æternæ comes, eia, tolle
Mœſtior iam luctificum ſonum; atque
Imperatori ſuperadde magno,
Flebile carmen.

Incolæ Regni, proceres beati,
Ciuis heu magnus cecidit, POLONAE
Gloriæ vindex, patriæque custos,
Fortis, & acer.
Luminis qui dum capiebat auras,
Nullus insurgens nocuit tumultus:
Cuique iucundos, vigili hoc, licebat
Ducere somnos.
Qui nihil maius, meliusúe duxit
Publica re; hanc, ex animo videre
Labis immunem cupiens: cadit nunc.
O dolor, ô mors.
Iura qui sanctè coluit, fidemque:
Mentis integræ speculum, vetusti
Stemmatis splendens decus, occidit nunc;
O dolor, ô mors.
Iam vale dixit patriæ supremum,
Ille, qui viuens recreabat æquè,
Infimos, summos, equites, senatum;
O dolor, ô mors.
Cuius externus stupuit catum cor,
Atque fortunam timuit fauentem.
Auxilj vis occubuit ZAMOSCVS.
O dolor, ô mors.

Pectus

Pectus infractum dubijs periclis,
Dexteram victis dare iura ſuetam,
Fulgidum lumen, grauis in ſepulchrum
Intulit hora.
Intimum, ô miles, renoua dolorem,
Marmori inſculpens memorem querelam.
Clauſit hîc IANVM tumulus ZAMOSCVM;
O dolor, ô mors.
Qui tegis tanti ducis & patroni
Membra, fortunate lapis, patens ſis
Omnibus, qui conuenient ſolutum
Iuſta ſepulto.
Manibus celſis, patriæ parenti,
Debitas quiſnam lacrymas negabit?
Ilicet luctum renouans, Polonus
Perſonet orbis.
Tu quidem felix, nimium beatus,
Splendidè fortuna cui peracta:
Non tibi fraus, non nocuit periclum;
MAGNE ZAMOSCI.
Vortices inter ſalis æſtuantis,
Inter obſtantes variè procellas,
Inter inſultus Boreæ, attigiſti
Littus amicum.

Membrã non præmiſit iners ſenectã,
Nec ferox caſus tumulo, nec enſis;
Blandior ſed te explicuit, quietem
Mors imitata.
Senſit inuictum ferus hoſtis enſem,
Impetum nulluſque tuum repreſsit,
Ad tuos omni celebris rediſti
Victor ab ora.
Ceſsit & fortuna tibi, potentes
Cuius obtutum metuunt tyranni;
Ceſsit, & nullos violauit actus,
Impete diro.
Quis duces claros numeret, graueſque
Principes, lapſos grauiore caſu?
Eſt, fuit raruſque ſenex, beatus
Semper & idem.
Pace tu felix, acieque victor.
Strenuè factis pariter (ſtupendum)
Nomen æternum tibi comparaſti,
Ingenioque.
Non tamen mentem nimium benigna,
Suſtulit ſors: non probitas ſecundis,
Non opum dono intumuit, nec alti
Sanguinis ortu.

Patriæ

Patriæ custos, columen Senatus:
Vnicum, summumq́ue decus camœnæ:
Norma virtutum, bone cultor almæ
Relligionis.
Post tot actos eximiè labores,
Mente pro casta, pietate vera,
In Deum, dulcem patriam, fluentis
Tempore vitæ.
Aurea tu nunc frueris quiete,
Inter illustres animas relucens,
Numen æternum veneraris, auctus
Munere cœli.
Sic sator rerum benefacta pensat:
Ac suas sedes locat inter astra,
Nec potis ferri stygias ad vmbras,
Inclyta virtus.
Viuis, & viues stabiles per annos,
Additus ciuis nouus ac Olympo,
Aureum vultu iubar, & serenos
Fundis honores.
Liuor infestus tibi nil nocebit,
Nominis fulgore tui retusus,
Occulet sese, caput inter atra
Nubila condens.
Quin

Quin tuum ſplendens decus, atque laudes,
Fama per latas ſpaciata terras
Prouehet, qua ſol oriens, cadenſque,
Frena retorquet.
Tarda qua terras helice pruinis
Damnat, ac vrbes, populoſque fortes,
Quaque ſubtriſtes nebuloſus imbres,
Colligit Auſter.
Nulla te mundo rapiet vetuſtas,
Conferet tecum decus omne priſcum,
Fama miratrix ſenioris æui,
Iudice vero.
At tuo nos hic obitu gementes,
Ceu pater natos moriens, relinquis:
O vir, à nullis reticende ſeclis,
Magne Zamosci.
Imbre non ceſſant oculi madere,
Tabuit mentis vigor, & ſerenæ
Vela caligant ſine te carinæ,
Optime Ductor.
Vt perit cum ſole decor polorum,
Nec tenent ſtellæ faciem minores,
Sic color tecum perijt venuſtus,
Regnicolarum.

Fata

Fata dum parcent animæ, clientes
Serta ponemus tumulo, ſacrantes
Debita manes lacryma, nec vnquam
Corde recedes.
Tuq́ue ſuccreſcens generoſa proles,
Des odoratas tumulo coronas:
Ac honorem, Die puer, ſupremum
Fac genitori.
Creſce, virtutiſque memor paternæ,
Arripe haud multis iter expeditum
Gloriæ, felix, & in omne viuas
Nobilis æuum.